Trzebski Joan. Nep. Martini: De primis intrinsecis rerum naturalium principiis Dissertatio.

M. JOANNIS NEPOMUCENI MARTINI
T R Ą B S K I

Philoſophiæ Doctoris & Profeſſoris,
Eccleſiæ Collegiatæ S. ANNÆ Canonici.

De primis intrinſecis Rerum naturalium Principiis

pro loco obtinendo

in Majori Univerſitatis Cracovienſis Collegio

DISSERTATIO.

Annô Domini 1777 Menſe Aprili.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracovienſis,

1.

AD

ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM DOMINUM DOMINUM IGNATIUM, AUGUSTINUM SARIUM

de Kozierogi

KOZIEROWSKI

EPISCOPUM ADRATENSEM,

Per Metropolitanam Primatialem Archi-Diæcesim Gnesnensem

VICES-GERENTEM,

Ejusdem Archi-Cathedræ Gnesnensis

CANONICUM,

Mstoviensem

PRÆLATUM PERPETUUM,

MECÆNATEM AMPLISSIMUM,

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

ILLU-

ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME
ANTISTES.

Significationem grati animi, quam non hoc primùm tempore, sed annis abhinc haud paucis, favorum in me Fratremq; meum magnitudine Illustrissimo Nomini Tuo devinctam fecisti, seriùs quidem testatam, ast iisdem desideriis venientem, Viris Magnis solita comitate prosequere, tanquam maturiorem quendam amplissimarum Tuarum gratiarum fructum,

Deliberandum certè mihi multùm fuerat, priusquam benè semper affecta voluntas mea in eam propenderit partem, ut nulli alteri quàm Tibi Dissertationem præsentem de primis Rerum naturalium Principiis inscribendam decerneret.

Una porro ex parte, ignarus esse non possum, quàm complures atq; nobilioris ingenii numerentur ii, qui me pridem in eo attentionis genere eruditis suis lucubrationibus præcesserunt, & maximam honoris partem accessisse sibi meritò rati sunt, quòd virtutum Tuarum Laudatores extiterint, earumq; ac Illustrissimi Nominis splendore suis operibus claritatem ac commendationem addiderint; ex altera, Tuæ Præcelsæ Dignitatis sum bene conscius, unde quidquid in publicam de Te lucem protulero, nihil planè fore intelligo, quod celebratissimæ existimationi Tuæ par inveniri aliquando potuerit.

Sive quippe egregium probitatum cum sapientia nexum, sive præclara in Ecclesiam, Religionem & Patriam merita, sive eximias summisq; dignitatibus pares animi dotes, sive continuos, quos indefessus Pontifex exerces, labores, sive Nobilissimam Ge-

 neris

neris præstantiam respexero; hæc singula tanta esse adverto, ut ea, quantumvis peramplum ingenium orando compleċti non valeat.

Incomparabilis verò Tua modeſtia. in omnibus laudatiſſimis actionibus mirificè reſplendens, quàm diuturnam mihi atq; arduam cogitationum molem objecerit, inde facilè intelligitur: quòd ejusdem cultu perpetuo Comitis *nomen Excellentiſſimis Majoribus Tuis peculiare, hæreditario in Te deſcendens jure, tribui Tibi minimè patiaris.*

Adeſt tamen fideliſſima temporum teſtis, veritatis lux, conſequentium ſæculorum magiſtra, conſtans ac invariabilis graviſſimorum traditio Scriptorum, qui quantò remotiùs ab antiquiſſimis usq; temporibus KOZIEROWSCIANÆ *Familiæ deducunt originem, tantò propiùs neq; obſcurè inſinuant, Te Clariſſima certè Gente oriundum.*

Necdum iſthæc Patria, quæ Tuis Tuorumq; Prædeceſſorum geſtis non modicum debet, conſtiterat, jam de Domo Tua Sereniſſimos Reges Gothis imperantes Orbis hiſtoria ad annum 416 indicat. Naſcente tandem Polonia, ſui faſti Comites *in Cieſzow* KOZIEROWSCIOS *memorant, Qui ob eximia merita, tam ſub Poloniarum Principibus, quàm potentiſſimis Regibus, primis quibusvis Dignitatibus Viri fuerant ſpectatiſſimi, adeò: ut vix ſupremum aliquod Honorum reperiatur faſtigium, quod eis non fuerit inquilinum.*

Videre eſt de Inclytiſſima Domo Tua Archi-Epiſcopos Gneſnenſes duos, Epiſcopos novem, totidem Palatinos, Caſtellanos decem, & alios permultos primis Regni Miniſteriis glorioſiſſimè functos, inter quos dexterrimus Exercituum Dux Florianus *verè Virorom Flos primus* Sarius *nuncupari meruit, novumq; Gentilitio* Capro, *trium Haſtarum fecit adjicii ornamentum.*

Singula hic Præclara Domus Tuæ recenſere decora, exigua iſthæc pagella non capit. Colligatas tamen Sanguinis nexu Familias: Potocciorum, Zamoyſciorum, Łubienſciorum,

Mała-

Małachowsciorum, Boguccioruṁ, Odyncoruṁ, Rogolińsciorum, Rejorum, Duninorum, Remiszowsciorum, Brzezińsciorum, Łacciorum, Kobielsciorum, Chwalibogorum, Stradomsciorum, Rogowsciorum, Zdrowsciorum, Łopatecciorum, Moszyńsciorum, Rzeczkowsciorum, Wilkoszewsciorum, Sierściorum, Gawrońsciorum, Chustecciorum, Roxycciorum, Wilezyńsciorum, Kamoecciorum, Psarsciorum, Piegłowsciorum, Komorowsciorum, Zarębórum, Kruszyńsciorum, Zborowsciorum &c. *prætertre nequeo, Quibus quid gloriæ ac summorum Fasciam ad universæ Patriæ felicitatem & famam emicuit, id Illustrissimo Nomini Tuo communicari, nemo inficias ibit.*

Neq; immortali memoria digna Majorum Tuorum gesta sunt repetenda, dum in Te ipso tanquam tersissimo quodam Speculo Avitæ pietatis, zeli in Deum, prudentiæ in rebus agendis, virtutumq; omnium recentissima monumenta legantur, & ad imitationem iis etiam, qui vera laudis probitatisq; gustum amiserint, felicissimè proficiant.

Quis enim in Te non videat ardentissimum in Deum amorem, Cujus cultum sanctissimum verbo, opere & exemplo ita promoves ac amplificas, ut nullum sit Templum, quod Tuo gloriabatur & gloriatur regimine, cui non sacri auri argentiq; copiam, non splendidos apparatus, non omnem deniq; pretiosam supellectilem contulisses

Quis non contempletur liberalissimæ manus Tuæ opera, quæ digna sunt, ut in libro vitæ scribantur. Quascunq; Tibi Deus Optimus impertivit opes; eas in inopes munifica largiris dextera, nec quenquam finis præterire diem præstito beneficiò non notatum.

Quis non demiretur fortissimam in adversis ferendis æquanimitatem & plenissimam in Deo fiduciam, quibus probè munitus, acerbissimam incendii stragem, tanquam peculiare quoddam Divinæ Providentiæ beneficium constantissimè suscepisti, nec quando jacturam bonorum conquereris, imò sapientissimam Optimi Numinis dispositionem tantò ampliùs laudas ac extollis.

In

In obeundis Pontificiis muniis continua sedulitate incumbis, quinimo omnem superans laborem, nec vitæ commodis, nec lassatis grandævæ viribus ætatis, nec ipsi, qua nil carius saluti parcis; ut Vineam Christi reddas cultam, fructuumq; feracem. Verbò talem Te exhibes Episcopum, qualem exigente Apostolo, esse oportet: Hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.

Inde factum est, quòd omnem probatissimæ vitæ Tuæ rationem habens bellè perspectam, magnus ille Virorum Arbiter Celsissimus Excellentissimus & Reverendissimus Dominus GABRIEL PODOSKI Archi-Episcopus Gnesnensis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Primas, Primusq; Princeps, *totam eamq; gravissimam in vastissima sua Arch-Diæcesi molem in spiritualibus Officiis fidei Tuæ commiserit, quam ea dexteritate honoreq; geris ac sustines, ut nihil ad rectissimum ordinem, nihil ad sanctissimæ Religionis incrementum, tum ad Nominis Tui Illustrissimi celebrandam sæculis, quæ sequentur, gloriam desiderari possit.*

Sunt itaq; non dubito Gestorum Tuorum immortalium tot diserti Oratores, quot spectatores, & in post aderunt tot Præcones quot scriptorum lectores, traditionumq; auditores nascentur. Ego ne innatam Tibi lædere modestiam videar, ea altò silentiò veneror, totaq; ætate mea non sinè fructu recolam & celebrabo. Cùm verò ex Seneca sciam: nullum officium esse magis necessarium, quàm referendam gratiam; in argumentum meæ in Te reverentiæ & devinctissimæ voluntatis, exiguam isthanc Dissertationis paginam Tibi offero, qua interprete: faustissimam incolumitatem Tuam communi Ecclesiæ, Religionis, charissimæq; Patriæ bono, ac provehendis sublimiùs uberrimis Tuis meritis longissimos in annos profuturam, vehementissimè percupio.

ILLUSTRISSIMÆ REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ MECÆNATIS AMPLISSIMI

Perpetuus Cultor & Obsequentissimus Servus
A. O.

PROLEGOMENON.

Philoſopho res naturales inveſtigare volenti, has debere ineſſe curas, ut comprimis earum principia perquirat, quibûs perceptîs ſcientificam illarum cognitionem aſſequi valeat. Tum quippe res ſcientificè cognoſcitur, quando ad ſua reducitur principia. Hæc in corporibus naturalibus dari, cùm *ex nihilo nihil naturaliter fiat* (a) quemadmodum magna Phyſicorum conſenſio eſt, ita non minor diſſenſio: quænam, & quot dentur? Recenſeri vix poſſunt Philoſophorum inventa, quibûs pro ſua diſputandi ratione, alii unum alii plura corporibus deſtinabant principia.

1. Orpheus Thracum Literarum Auctor, quem ante bellum Trojanum vixiſſe, tradit Diodorus Siculus (b) tum Heſiodus, non ſolùm Pòëta ſed & Philoſophus inter antiquos nobilis, omnia materialia è chao fieri pronunciavit, ex quo Ovidius (c) mundi originem ſic deſcribit:

A Ante

(a) *Ariſtoteles Phyſ. cap. 9.* (b) *Lib. 2.* (c) *lib. 1. Metamor.*

Ante mare & terras, & quod tegit omnia Cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles.

2. Plutarchus quoq; idem se sensisse refert, sed addit, quòd major pars Physicorum antiquissimorum aquam, chaos appellavere. Indorum Gymnosophistæ, si Straboni (d) fides danda, & Phænicii (e) materiam mundi aquam extitisse censebant. Thales Milesius Jonicæ Familiæ Parens referente Tullio (f) docuit Deum cuncta ex aqua finxisse. Homerus etiam (g) aquæ, rerum omnium primordium adscribit hoc versu:

Oceanus cunctis præbet primordia rebus.

Quod & Virgilius eleganter expressit: (h)

Oceanusq; Pater rerum, Nymphæq; sorores.

3. Terram principium omnium dixit Phærecides Syrus, (i) quam opinionem Xenophanes celebri illo versu exposuit:

Omnia de terra atq; in terram cuncta revertunt.

4. Aerem principium rerum pronunciavit Anaximenes Jonicæ sectæ Alumnus, (k) cui Empiricus (l) conjungit Idæum Himeræum, Diogenem Apolloniatem & Archelaum Atheniensem cognomentô Physicum, Magistrum Socratis.

.5 Hera

(d) *lib: 15.* (e) *Euseb: Prapar: 10.* (f) *de Nat: Deor. lib: 1. c. 10.* (g) *Plutarchus Plac. 1. c. 3.* (h) *Georg: 4. carm: 382.* (i) *Empiricus Pyrrhon. Hyp: 3. c. 4. & 1. advers. Phys. seg. 360.* (k) *Plut: Pl. 1. c. 3.* (l) *adv: Phys: 1 seg. 360.*

5. Heraclitus & Hippasus Metapontinus Ignem principium esse, ex quo existant omnia, & finem, in quem omnia recidant, perhibuerunt. (m)

6. Parmenides Eleates ac Parmenidis discipulus Melissus unicum rerum adstruxerunt principium, scilicet: ens. (n) in hoc tamen disconveniebant, quòd Melissus principium illud infinitum esse ajebat, Parmenides verò finitum, utrumq; Aristoteles (o) insectatus est.

7. Sed unum rerum naturalium principium stare non posse, hæ ostendunt rationes: *1ma* Res uno principio constantes non differrent essentialiter; nihil enim haberent, quo differrent, cùm illud principium omnibus esset commune. *2da* Tollerentur generationes & corruptiones: in generatione quippe totam entitatem de novo produci, vetat ratio, aliàs creatio esset; in corruptione pariter totam destrui; aliàs annihilatio fieret. Quare sicut in generatione aliqua tantùm entitas de novo producitur, ita in corruptione aliqua destruitur, alia videlicet communi subjecto remanente; posito autem uno principio, semper esset illud ipsum, nihilq; res naturales præter illud haberent. *3tia* Res tali principiô facta vel haberet plus ultra principium vel non haberet; si plus haberet, saltem ex duobus principiis rem illam coalescere necesse esset,

 nempe

(m) *Plut: loc: cit: & Arist: Met: 1. c. 3.* (n) *Arist: lib: 1. Phys: c. 1.* (o) *ibidem* (p) *de Plac: Phil: lib: 2.*

Ante mare & terras, & quod tegit omnia Cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles.

2. Plutarchus quoq; idem se sensisse refert, sed addit, quòd major pars Physicorum antiquissimorum aquam, chaos appellavere. Indorum Gymnosophistæ, si Straboni (d) fides danda, & Phænicii (e) materiam mundi aquam extitisse censebant. Thales Milesius Jonicæ Familiæ Parens referente Tullio (f) docuit Deum cuncta ex aqua finxisse. Homerus etiam (g) aquæ, rerum omnium primordium adscribit hoc versu:

Oceanus cunctis præbet primordia rebus.

Quod & Virgilius eleganter expressit: (h)

Oceanusq; Pater rerum, Nymphæq; sorores.

3. Terram principium omnium dixit Phærecides Syrus, (i) quam opinionem Xenophanes celebri illo versu exposuit:

Omnia de terra atq; in terram cuncta revertunt.

4. Aerem principium rerum pronunciavit Anaximenes Jonicæ sectæ Alumnus, (k) cui Empiricus (l) conjungit Idæum Himeræum, Diogenem Apolloniatem & Archelaum Atheniensem cognomentô Physicum, Magistrum Socratis.

.5 Hera

(d) *lib: 15.* (e) *Euseb: Præpar: 10.* (f) *de Nat: Deor. lib: 1. c. 10.* (g) *Plutarchus Plac. 1. c. 3.* (h) *Georg: 4. carm: 382.* (i) *Empiricus Pyrrhon. Hyp: 3. c. 4. & 1. adverſ. Phyſ. ſeq. 360.* (k) *Plut: Pl. 1. c. 3.* (l) *adv: Phyſ: 1 ſeq. 360.*

5. Heraclitus & Hippaſus Metapontinus Ignem principium eſſe, ex quo exiſtant omnia, & finem, in quem omnia recidant, perhibuerunt. (m)

6. Parmenides Eleates ac Parmenidis diſcipulus Meliſſus unicum rerum adſtruxerunt principium, ſcilicet: ens. (n) in hoc tamen diſconveniebant, quòd Meliſſus principium illud infinitum eſſe ajebat, Parmenides verò finitum, utrumq; Ariſtoteles (o) inſectatus eſt.

7. Sed unum rerum naturalium principium ſtare non poſſe, hæ oſtendunt rationes: *1ma* Res uno principio conſtantes non differrent eſſentialiter; nihil enim haberent, quo differrent, cùm illud principium omnibus eſſet commune. *2da* Tollerentur generationes & corruptiones: in generatione quippe totam entitatem de novo produci, vetat ratio, aliàs creatio eſſet; in corruptione pariter totam deſtrui; aliàs annihilatio fieret. Quare ſicut in generatione aliqua tantùm entitas de novo producitur, ita in corruptione aliqua deſtruitur, alia videlicet communi ſubjecto remanente; poſito autem uno principio, ſemper eſſet illud ipſum, nihilq; res naturales præter illud haberent. *3tia* Res tali principiô facta vel haberet plus ultra principium vel non haberet; ſi plus haberet, ſaltem ex duobus principiis rem illam coaleſcere neceſſe eſſet,

 nempe

(m) *Plut: loc: cit: & Ariſt: Met: 1. c. 3.* (n) *Ariſt: lib: 1. Phyſ: c. 1.* (o) *ibidem* (p) *de Plac: Phil: lib: 2.*

nempe: ex principio ipso, & eo, quod ipsi ultra principium superveniret; si plus non haberet, principiatum idem esset cum principio.

8. Ex antiquis Philosophis, qui plurâ corporum principia ponebant, sunt: Pythagoras, qui Plutarcho referente (p) de rerum principiis disserens, tria principia admittenda esse statuit: Deum materiam & Numeros. Deum tanquam efficientem corporum causam, quem alio nomine Mentem appellabat; principium extrinsecum asserebat; Materiæ nomine primogeniam massam, commune omnium formarum, mutationum ac vicissitudinum subjectum intelligebat. Numeros verò rerum principiis non adnumerabat, quasi ex ipsis tanquam intrinseco elemento aliquo naturalia composita conflari existimaret, sed per illos peculiarem solummodo particularum materiæ proportionem, multitudinem ac ordinationem significabat, corporeaq; ipsa non ex numero, sed secundùm numerum generari autumavit, inquit Stobæus, (q)

9. Plato principia corporum collocabat in materia & Ideis (r) quòd ad corporum formationem existimaret Deum usum fuisse ideis & materia. Sunt tamen, qui per Ideas Platonem intellexisse asserunt formam,

10. Archelaus, ùt ait Làértius (s) *Duas esse genera-*

(q) *in Ecle: Phys* (r) *in Timæo & apud Brucker Hist: crit: Phil: Vol. 1. p. 2. lib: 2. c. 6. sect: 1.* (s) *lib: 2. segm: 16. & 17.*

nerationis causas afferebat: Calidum & Frigidum, liquentem calore aquam, quæ in igneam naturam consistit, terram efficere; quæ verò circumfluit äerem gignere; atq; ideo illam quidem ab äere hanc autem ab ignîs motu contineri. Euripides (t) de principiis rerum sic suam expessit sententiam:

Æthera canto ipsum rerum, Terramq; parentem

Ænipodes Chius ignem & äerem censuit. (u) Hippon Rheginus ignem & aquam (v) Licèt Aristoteles (x) moneat: *Hipponem nemo dignabitur cum ipsis enumerare propter intellectûs illius simplicitatem.* Verùm ut egregiè observat Cicero (y) *Nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Zaretá Chaldæus lucem & tenebras.

11. Onomacritus tria elementa scilicet ignem, aquam & terram pro rerum principiis posuit. (z) Magos quoq; eadem sensisse refert Läertius. (a) atque eò Virgilium respexisse conjiciunt, dum cecinit. (b)

Tum Pater Omnipotens fæcundîs imbribûs Æther
Conjugis in gremium latæ descendit & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fætus.

12. Empedocles referente Tullio: (c) Quatuor dicit Elementa: ignem, äerem, aquam, terram, duo autem

(t) apud Empir: adv: Phys: 2. c. 5. sect: 315. (u) Ibid: sect: 361. (v) Ibid: (x) Met: 1. c. 3. (y) lib: 2. de Divin. (z) Empir: adv: Phys: l. 1. sect: 16. (a) Proam: Segm. 6. (b) Georg: 2. (c) Acad: 2. 6. 11.

autem principia: Amicitiam & Discordiam, quorum hoc uniat res, alterum discernat. Quod totum eleganter exprimit Làërtius. (d)

Jupiter albus, & alma soror Juno atq; potens Dis
Et Nestis, lachrymis hominũ quæ lumina complet
Nonnunquã connectit Amor, simul omnia rursus,
Nonnunquam sejuncta jubet Contentio ferri.

Ubi Jupiter ignem, Juno terram, Dis àërem, Nestis aquam denotat. Hinc optimè notat Empiricus (e) ab Empedocle admitti sex rerum principia, quatuor quidem materialia: terram, aquam, àërem & ignem, duo autem agentia: amicitiam & litem.

13. Anaxagoræ Clazomenii illustre apud antiquos nomen fecit Panspermia & Homæomeria,

Quam Græci memorant, nec nostrâ dicere linguâ
Concessit nobis Patrii sermonis egestas. (f)

Anaxagoras igitur universum mundum, omniaq; illius corpora ex similaribus particulis componi asseruit, (g) ita: ut singulæ corporum species ex conjunctis ejusdem naturæ particulis, quas ob id ipsum, similiares seu *Homæomeriam* vocat, consurgerent & efformarentur, caro v. g ex carneis, nervus ex nerveis, sangvis ex sanguineis &c. corpusculis conflaretur, neq; sanguinea unquam corpuscula in carnem, neq! carnea in sanguinem ob dissimila-

(d) *Segm: 76.* (e) *adv: Phys: c. 5. sect: 137.* (f) *Lucret: lib: 1. vers: 830.* (g) *Plut: de Plac: lib: 1. c. 3.*

ſimilarem naturam abire poſſent. Similares haſce particulas, quas mente ſolummodo intelligi poſſe ſtatuebat, in corporibus permixtas deliteſcere affirmabat, unde quodlibet corpus mixtum, *Panspermiam* ſeu *Omniſeminarium* appellavit, neq; alia ratione, pane v. g. nutriri animal dixit, niſi quia latentes in pane ſimilares particulæ, carneæ quidem in carnem, oſſeæ, in oſſa, capillares in capillos, & ſic de aliis conformantur, Panſpermiam ex informi chao in ordinem à Mente ſeu Deo digeſtam fuiſſe, addebat Làërtius. (h) Particulas minutiſſimas, *Germina*, ex pluribus germinibus compactas, ac ad ſtatum ſenſibilem adductas, *Ovula*, vocat. tam germina quàm ovula dicit *Semina*, atq; in his reponit materiam. Formam verò conſiſtere vult in certa inter ſe textura plurium ſeminum, ita: ut ea ſtatum ſenſibilem referat. Non defuerunt qui hanc hypotheſim Panſpermicam excolere tentârunt eiq; ſyſtema Evolutionis imponere.

14. Verùm hæc & alia jam planè refutata & tempore obſoleta, oblivioni tradita caput erigere non valent. Superſunt ad præſens longè celebriora, ſuîs diſtincta ſectîs, videlicet: Peripatetica ſeu Ariſtotelis, Gaſſendi, Carteſii & Chymicorum, de quibus in Corpore Diſſertationis. quod aliquæ Notiones prima explicantes Principia præcedent,

Notio 1ma. Omnibus Principiis id commune eſt,

(h) Segm: 4.

eſt, ut ſint quid primum, *unde res aliqua vel eſt, vel fit, vel cognoſcitur.* inquit Ariſtoteles. (i) Quibûs verbîs triplicis generis Principia denotat, nimirum: *Principia Compoſitionis*, ex quibus nempe componitur aliquid. *Principia Generationis*, ex quibus fit. ac demum *Principia cognitionis* ex quibus aliquid cognoſcitur. Principia cognitionis ad Logicum vel Metaphyſicum ſpectant. Etenim ea nihil aliud ſunt, quàm vel ſigna, quibûs in rei alicujus cognitionem ducimur, vel axiomata, ex quibus concluſiones inferimus. Itaq; cùm partes Phyſici ſuſceperim, de ſolis Principiis Compoſitionis & Generationis mihi ad præſens agendum venit.

16. *Notio 2da.* Principium ſi propriè ſumatur, patet latiùs quàm cauſa. Quia ad rationem principii ex mente D. Thomæ (k) ſat eſt, ut *ab eo aliquid quomodolibet procedat* ut verò Cauſa dicatur opus eſt, ut effectus ab ea eſſe accipiat, dependeatq; ab ipſa. Unde locus, à quo quiſpiam progreditur, principium eſt viæ non tamen cauſa.

17. *Notio 3tia.* Porro Principium duplex eſt: *Intrinſecum & Extrinſecum: Illud* dicitur, quod eſt in ipſa re, cujus eſt principium. ſeu ex quo eſſentialiter ipſum totum componitur. *Extrinſecum*, quod eſt extra rem, cujus eſt principium. Sic lapides ex quibus fit domus ſunt principium ejus intrinſecum,

artifex

(i) 5. Metaph: c. 1 (k) 1, p, q. 33: a. 1.

artifex verò domûs, est principium extrinsecum. De Principiis rerum naturalium extrinsecis, hìc non fore sermonem, sed duntaxat de Principiis intrinsecis. Ea ab Aristotele (l) sic definiuntur: Principia entis naturalis sunt, *quæ non fiunt ex aliis, neq; ex alterutris sed omnia fiunt ex ipsis.* Cujus definitionis bonitas ex eo patet, quòd sufficienter ratio primorum intrinsecorum Principiorum sit exposita. His præmissis descendo ad investigandum, quænam sententia talia Principia præseferat.

PROPOSITIO I.

Atomistarum Systema nequit sustineri pro primis Rerum naturalium Principiis.

18. Scholion Atomorum doctrinam juxta Possidonium (m) Moschus seu Mochus, Philosophorum antiquissimus, gente Phænicius, Danieli Hvetio (n) Moyses, (quod Buddeus non probat) qui ante bellum Trojanum, plùs scilicet quàm mille ante Christum annis, floruit, (o) primus invenit. Eam tandem ampliavit Leucippus, Democritus, Epicurus, ex Græcis, & Lucretius nobilis Pòëta Romanus, proinde primi Atomistæ, seu eorum velut Parentes

 nuncu-

1. (l) 1. Phys. c. 5. (m) apud Empir: adv: Math: lib: 8. (n) Demonstr: Evang: propos: 4. (o) Joseph: Antiqu. lib: 1. c. 3.

nuncupantur. Duo ponunt rerum naturalium Principia: Atomos, & Inane, seu Plenum & Vacuum teste Lucretio. (p)

Omnis, ùt est igitur, per se natura duabûs
Consistit rebûs, nam corpora sunt & Inane.

Democritus Abderites, *Atomos* docuit esse minutissima corpuscula, extensa, insecabilia, increata, æterna, numerô infinita, vi motrice prædita, propter exiguitatem nullis pervia sensibus, propter soliditatem divisionis expertia, (q) Quod Atomorum proprietates attinet; Epicurus existimavit: *Tria hæc accidere corporibus: figuram, magnitudinem, pondus, quorum hoc tertium. duobus, quæ Democritus perhibuerat, ab Epicuro est adjectum; quod hic motum corporum fore nullum sentiebat, nisi hæc gravitate perculsa moverentur,* (r) etsi Democritus ipse, *Atomum atomo ratione molis graviorem dixerit,* ut auctor est Aristoteles (s) Magnitudo in atomis singulis, non omnino eadem est, sed aliæ quidem majorem, aliæ minorem molem obtinent, sic tamen; ut omnes sint insensibiles. Figuras atomis varias sui Auctores adstruunt, alias dicunt rotundas, alias angulares, uncinatas, læves, asperas, hamatas pyramidales cubicas, trapezias, tetrahedricas, imò, ùt Aristoteles ait: (t) *Democritum atomos posuisse*

(p) *lib: 1. v. 18.* (q) *Philoponus in 1. Phys: c. 1.* (r) *Plutar: Plac: 1. c. 3.* (s) *de Gener: 1. c. 8.* (t) *Ibid: c. 1. & 8. & 1. de Cælo c. 10.*

poisusse non modò multitudine, sed forma etiam figu- ravé infinitas Ubi (ùt refert Philoponus & Aphro- diseus) adjungit: *hinc Epicureos non consensisse De- mocrito, quando posuerunt atomos figurarum quidem multiplicitate incomprehensibiles, verùm non idcirco ta- men infinitas.* Quod etiam in Lucretio (u) & Plu- tarcho (v) legi potest.

Per *Inane* seu *Vacuum* intellexit Schola Atomi- ca spatium omni corpore destitutum, non extra mundum, quod Stoicis placuit, verùm per omnia interspersum, sine quo motus, rerumq; mutatio- nes fieri non posse asserebat. Moventur itaq; jux- ta Democritum atomi in infinito inani motu sem- per obliquo, quem ipsis æternum & necéssarium adstruit, fatumq; dicit, (x) & sic insita vi teme- rè circumvolitantes post varias collisiones & com- binationes, casu absq; Dei directione in mundum hunc speciosum, & alios, quos ille infinitos admit- tebat. (y) ac omnes res quas miramur, coaluerint. Discrimen rerum ex ordine, situ, textura atomo- rum, tanquam forma repetebat. Generationem, corruptionem, alterationem fieri coagmentatione, dissolutione, perturbatione contendebat. Solidita- tem à paucitate, raritatem à pluralitare vacuorum provenire censebat. Nulla entia spiritualia dari as- serebat.

(u) *lib: 2.* (v) *1. de Plac: c. 3.* (x) *Eclect: Phys: c. 8.*
(y) *Plut: Plac: 2. c. 1.*

Veterum igitur doctrina Atomistarum, propter nefandos sibi admixtos errores, naturæq; rationali horrendos, in eam pervenit sortem, ut ipsi gentiles Philosophi eam ludibrio & probro verterent, in eamq; acerbè inveherentur, sensim tandem ruderibus oblivionis injecta per plura delituit sæcula.

Maignanus tandem & signanter *Petrus Gassendus* in Gallia Diniensis Ecclesiæ Præpositus, Vir non modò Astronomiæ, quam in Universitate Parisiensi publicè profitebatur, verùm etiam Philosophiæ studiîs commendatus, eam de suis veluti cineribus sæculô proximè elapsô excitavit, rejectîsq; erroribûs Dogmati Catholico adversîs hodierni systematis Atomistici sub annum 1645. fundamenmenta jecit, ea Physicorum approbatione; ut in partes suas multorum Discipulorum catervam traxerit, hodieq; non paucos suæ opinionis numeret fautores. Unde Gassendum ceu emendati Atomismi Parentem & Democritici Systematis Restauratorem Atomistæ venerantur. Expunxit autem Gassendus ea, quæ in Deum, Providentiam Religionemq; Epicurus impiè congesserat, reliqua variîs illustravit commentariîs, ingeniosîsq; observationibûs ac experimentîs auxit. Docuit atomos à Deo fuisse creatas numerô definitas. Motum ipsis à Deo inditum fuisse, asseruit, cujus impetûs gratiâ prosiliunt, impingunt, regrediuntur, apprehen-

dunt

dunt & dimittunt, eoq; pacto corpora attexunt & solvunt. Extensas esse sed indivisibiles, non quia partibûs careant, sed quòd ita duræ solidæ compactæq; sint, ut divisioni nullum locum faciant, seu quòd nulla vis in natura sit, quæ dividere atomum possit. (z) *Atomis* utì *materiæ primæ* jungit Gassendus *Formam*, tanquam alterum Rerum naturalium principium. hanc Gassendistæ explicant duplicî modô. Primô intelligunt nomine Formæ spiritosas Atomos, quæ analogicè vocari posse dicunt: *spiritus*, *olei flammula*, *materiæ flos*, crassiores materiæ particulas pervadens & animans. *2dò.* Forma Atomistica propriè est illa diversa dispositio ac textura atomorum. ptoinde forma hæc modalis & relativa est, ab atomis diversimodè combinatis indistincta. Atomistæ quippe nullum accidens absolutum admittunt. Reliqua cum veteribus Atomistis communia habent. Sunt præterea aliqui Atomistarum, qui suum Systema sequentibûs exponunt versibûs:

Mens, mensura, quies, motus, positura figura
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Ubi *Mens*, Ideam, qua res fiunt, indicat. *Mensura* atomorum volumen: *Motus* & *Quies* delationem, *Positura* situm. *Figura* significat formam. Hæc non modò Atomistis placent, verùm etiam iis Philosophis, qui substantiales formas expulere, corpo-

(z) *Gassendus lib: 3. Phys: sect: 1. c. 5.*

corporumq; naturam collocârunt in sola partium complexione, Pleraq; horum nequeunt esse corporum partes, nemo enim qui ritè disputet, affirmabit: Ideam, motum & quietem esse veras corporum partes.

19. Sic itaq; Atomistarum Systema de Principiis corporum expositum quòd subsistere nequeat, sequentia rationum momenta persuadent: I. Atomi à suis Auctoribus explicatæ iis sunt ambagibus involutæ, ut satiùs non dari, quàm tales dari mens præjudiciis libera fateri necesse habeat. Volunt ii, atomos esse corpuscula extensa, & indivisibilia propugnant, immemores; divisibilitatem esse proprietatem quantitatis, quæ suam concomitari essentiam, ordinario naturæ cursu est adstricta. Pergunt ulteriùs asserentes dictas atomos esse solidas incomprehensibilibûs præditas figurîs, magnitudine diversas, & nullis pervias sensibus. Mirabile dictu! ast intellectu vel creditu perdifficile. Figura soliditas maximè sensu percipitur atomi, cùm sensu omnino imperceptibiles sint, unde itaq; certum: quòd hæc eis conveniant. Num ex ratione physica? hæc cum ea pugnant. Num ex Sacro Textu aut Revelatione? verùm alterius expers Epicurus & Democritus fuerat, hanc sibi temerariè arrogaret, utpote qui & Deum & Dei Providentiam sustulerat. Ergo frustra in his fidem exigunt, cùm

fidei

fidei morivô destituuntur. II. Ast datis licèt non concessis atomis ratio Principiorum competere nequaquam valebit. Principium de sua natura omnino debet esse simplex, nec redigi potest in alia. Quomodo itaq; atomi cùm figuram & partes habeant simplices erunt? Figura est dispositio partium, cur ergo figurata in suas partes revocari nequeant? Pyramis v.g. tres, quatuorvé angulos ad basim gerit & ad verticem unum, ex his componitur, quis eam in sua latera resolvi neget. III. Laudatæ atomi vel sunt ejusdem essentiæ vel non. Si omnes atomi sunt ejusdem naturæ, ut passim Patroni sui & ipse Gassendus fatetur, easdem habebunt affectiones necesse est, indeq; eandem figuram, eundem motum, ac omnes in eandem partem æquali velocitate ferentur. nunquam ergo se comprehendent, sicq; nullam combinationem efficient, cùm solida magna difficultate & adjecta aliqua unione socientur. Imò sinamus favorabiliter, quòd inter se aliquo modo colligarentur, nullum inde prodire poterit compositum specie ab altero diversum; quemadmodum si ex cera efformaretur avis, planta, hæc non differrent essentialiter. Si igitur ex iisdem essentialiter atomis coalescerent res, eædem essentialiter forent ut in pari rationobatur Epicurus adversùs Heraclitum, ostendendo non omnia posse ex uno igne componi,

quan-

quantumvis diversîs modîs dispoſito. Quod refert Lucretius. (a)

Nam, cur tam variæ res poſſent eſſe? requiro
Ex uno ſi ſint igne puroq; creatæ.

Experientiâ inſuper compertum eſt, corpora ex partibus maximè homogeneis & ſimilibus compoſita, nullatenus viciſſim fermentari. ſic neq; aquæ diſtillatæ, neq; oleum chymicum, neq; ſpiritus vini, neq; ſimplices alii liquores, aliis ſibi ſimilibus immixti commoventur aut mutantur, ſecus accidit ſi naturis ſpecie diverſis ſuperinfundantur. Ex atomis ergo, quarum natura omnino ſit ejusdem rationis, utcunq; eædem invicem diſponantur, haberi non poterunt compoſita ſpecie diverſa, nec illa fermentatio, quam ad corporum naturalium conſtitutionem Recentiores requirunt. Si verò ſunt diverſæ naturæ, diversîs conſtabunt principiîs, non eruntq; prima principia, ſed principiata ex aliquo communi & aliquo proprio. IV. Soliditas atomorum omnem de medio tollit rerum generationem, videlicet: alius atomorum plexus obtineri non poteſt, niſi, qui præerat, diſſolvatur omnino; ubi tamen duriſſimæ atomi ſunt, & diviſionem neſciant, diſjungi nequit ulla compages. Moleculæ enim aduncæ quæ aliis firmiter adhæreſcunt, expediri ab illis non poſſunt, quin uncos flexiles habeant, aut diffractioni obnoxios. Si tamen firmiſſimæ

(a) *Lib: de Rerum nat:*

missimæ sint, impotes erunt rei utriq; pergent propterea corpus attexere, locumq; omnem adiment novo contextui. V. Exiguitas atomorum est impedimento ne corpus inde proveniat. Ob exilitatem quippe suam obnoxiæ essent facillimæ dissipationi, flante etiam vel lepidissimo zephyro distraherentur aliò, corpusq; dissolverent. Reponi quidem assolet: conflari è molecusis prima corpuscula ex his secunda, ex secundis tertia & ita porro: quo fit ut pondere & firmitate instruantur ad obsistendum motionibus, efformentq, corpora compactiora. Verùm hæc ingeniosè potiùs regeruntur quàm appositè & verè. Ignorandum enim non est corpuscula omnia in atomos demum abire, quæ levitate sua cederent vi cuiq;. Igitur ineptæ atomi sunt ad corporum concretionem. *Deniq.* (inquit Lactantius (b) *Si atomorum coitio & conglobatio efficeret omnia, & in àëre universa concrescerent, siquidem per inane atomi volitarent. Unde apparet & nihil ex atomis fieri, quandoquidem unaquæq res habet & propriam certamq naturam seu formam, suum semen, suam legem ab exordio datam, Si itaq* (verba S. Augustini (c) *concesseris adhuc esse atomos, si concesseris etiam concursu fortuito se ipsas pellere & agitare, num & illud eis fas est concedere? ut in se atomi fortuitò veluti concurrentes rem aliquam*

(b] *lib: de Ira Dei c. 10.* (c) *Epist: 56. ad Dioscorum.*

ità conficiunt, ut eam formâ ædificent figurâ determinent, æqualitate poliant, colore illustrent, anima vegetent. - - Sed jam pudet me ista refellere, cùm eos (atomistas) *non puduerit ista sentire.*

20. *COROLLARIUM I. Non est probabile ex atomis à Deo productis cum innata virtute ad motum, mundum coaluisse, addito solo concursu simultaneo Dei.* Est contra Gassendum. (d) Stante quippe Gassendi hypothesi, certitudo Divinæ Providentiæ tolleretur, nam Deus pro hoc statu deberet expectare indifferenter effectuum eventus, quod est contra testimonia Sacræ Scripturæ, Conciliorum ac Patrum, attribuentium Deo id omne agere posse, quod vult & quando vult. *Nec enim Deus*, inquit S. Ambrosius (e) *ut atomorum concursione mundus fieret, serum atq; otiosum expectavit negotium.* Præterea quis sanæ particeps mentis audeat asserere? mundum tam immensum stupendumq; opus, tot rerum speciebûs dstinctum, tanta varietate ornatum, eo ordine dispositum, nullo consilio ex atomis tam exiguis concretum esse, cum per tot annorum millia nec tantillæ ædes ex illis steterint, Ritè parî modô in hæc contra atomistas verba prorumpit Cicero (f) *Si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum non potest? quæ sunt minus operosa &*

(d) *Tom: 1. lib: 7. Phys. c. 6.* (e) *lib: 1. Hexameron c. 2.* (f) *lib 2. de Nat: Dom.*

sa & multò quidem faciliora, quàm mundus. Adextremum quia inter conclusiones Viclefi ter damnatas; hæc erat ordine 163, (ùt refert Valdensis (g) *Imaginandum scilicet est, unam essentiam corpoream in principio fuisse productam,, ex indivisibilibus seu atomis compositam, occupare omnem locum possibilem.* Insuper ea ipsa propositio in Concilio Constantiensi (h) legitur damnata inter errores Joannis Hus; coincidatq; ex æquo cum Recentiorum assertione eodem modo supponente productionem atomorum à Deo, ut ex harum deinde concursu mundus exurgeret, rejicienda itaq; est. Nec quidquam valet effugere, videlicet: Constantiense Concilium non esse tantæ auctoritatis. Nam saltem à Sessione 15ta (quæ hìc refertur, & in qua Antipapa Petrus de Luna depositus est) certæ fidei esse observârunt Turrecremata (i) & Bellarminus. (k)

21. *COROLLARIUM II, Posita Atomistarum hypothesi, omnia temerè & fortuitò fieri necesse est.* Nam juxta atomorum Patronos res producuntur, cùm atomi concurrunt, certumq; sortiuntur situm. Concursus autem fit per motum, is verò non dirigitur à Deo speciali influxu, secus, (ùt Boyle videtur sentire) omnia necessariò fierent, omnisq; causarum ordo & influxus è medio tolleretur, ast solùm generali, in prima earum productione ipsis

 impresso.

(g) *Tom: 1, lib: 1. c. 14.* (h) *Sess: 19.* (i) *lib: 2. c. 106.* (k) *lib: 2. c. 19.*

impresso. Ex quo inferendum est motum atomorum contingentem esse, ac cùm non dirigatur à causa statum ordinem observante, qualis est Deus & Angeli, ùt patet, quinimo ipsi Atomistæ ad hæc agentia non recurrunt. Nec quoq; ab homine, quia multa generantur & corrumpuntur absq; concursu hominis, nec ab ipsis atomis, quia ad directionem activam, rei de se contingentis, requiritur cognitio, cujus atomi profectò incapaces sunt restat. igitur concludere ex atomis quæcunq; fiunt. fieri temerè. Nec valet recursus ad mechanismum (ad quem pleriq; confugiunt) juxta leges motûs instructum; quia hic insufficiens est ad vindicandam genesim à casuistico atomorum concursu, ac magna insuper ex parte fictitius. Nam 1mò unam atomum movere alteram, sicut rota rotam in horologio, vanum est,, partim, quia ipsi Atomistæ fatentur corpuscula diversîs gaudere siguris, motus autem per diversas figuras corporum alteratur, sitq; irregularis, etsi corpora impertinentia non sint admodum multa. ùt patet in casu, quo inter globos vel unicum corpus triangulare, vel una lamina intra rotas horologii reperiatur. 2dò Nulla est lex motûs, ut corpora figurarum similium congregentur, nisi intra aliquod continens ab extrinseco cogantur, maximè in levibus & de se non unitis, ùt patet in arena & sestucis, multò

minùs

minùs regularis motus conſervari poterit, citra ſpecialem influxum cauſæ moventis vel dirigentis, inter res leviſſimas, cujuſmodi ſunt atomi. 3tiò. Si certæ eſſent leges motûs atomis inſitæ, atq; ad conſtituendum quoddam totum ordinatæ, ſequeretur atomos naturaliter quieſcere in corpore ita ex eis conſtituto; ſicut omne mobile quieſcit in ſuo connaturali termino. at ſequela eſt contra Atomiſtas dicentes: atomos continuò niti ad motum & tantùm per accidens impediri ab illo. 4tò Sequeretur atomos reſolutô compoſitô, proprio motu convolare ad idem prorſus compoſitum conſtituendum, quo conceſſo regreſſus rerum corruptarum connaturalis eſſet. 5tò Si generatio & corruptio fit per leges motûs, idem naſcetur ex corrupta herba novum ens, ſive igne comburatur, ſive putrefiat, ſive comminuatur, vel alio modo reſolvatur, quoniam eædem atomi, idemq; atomis inſitus motus, ad idem conſtituendum tendent, nullaq; ſuperſit ratio, ob quam aliud novum concretum reſultare deberet, inſiſtendo propoſitæ theſi de generatione corporum per atomos juxta leges motûs. Demum Atomorum Defenſores ſtatuunt duplicem motum: Perpendicularem qui eſt directus, & Reflexum qualem pilæ in parietem impulſæ ineſſe obſervamus. Directus, etſi ſupponatur quaquaverſum tendere, eſt indifferens ad hunc

vel

vel illum terminum. Reflexus verò, resiliens potiùs est, quàm uniens, vel si uniens, manet adhuc casualis, & magìs tumultuario operi, quàm naturali uniformi conducens. Hìs impræoccupatô animô perpensìs, cuiq; perspicuum erit, stante Systemate Atomistico nullam posse assignari rationem, nullum principium, juxta quod atomi ita regulariter cieantur, ut possint dici connaturalem habere modum & motum, ut de necessitate debeat ex ipsis certum nasci concretum. Neq; potest recurri ad dispositiones prævias, eò, quòd & hæ in atomis consistant, per consequens eadem de illis difficultas redit. Quando ergo nullo naturali principio, nullo stato ordine ad specificos fines ordinantur, consequens est, eas casualiter ac temerè non solùm posse sed & debere ad constituendum concretum concurrere.

22. *COROLLARIUM III, in Systemate Atomistarum nulla veræ rationis generatio, corruptio & nutritio locum habet.* Et quidem de generatione constat, non solùm, quia nihil de novo produceretur, sed nec naturaliter, disjuncta coadunarentur, ast merè mechanicè per atomorum transpositionem, quomodò domifex ex calce, lapide & ligno facit domum, quam tamen generare non dicitur. Et ob parem rationem, nec corruptio verè naturalis, sed mechanica destructio esset. Quod utrumq;

palam

palam profiteri non dubitant Atomiſtæ, erroneè tamen. Nam ut ab evidentia rei abſtraham, fruſtra eam obtruſurus ſtudioſè avertentibus oculos ab omni, quod naturale audit, illud nihilominus conſiderandum propono: quòd ablatio veræ naturalis generationis non ſolùm obviet ſacris Literis, à quibus ſæpiùs adſtruitur, ſed præjudicet etiam Maternitati Beatiſſimæ Virginis MARIÆ. Impropria enim generatio impropriam conſtituit Matrem generantem & Filium genitum. *Nutritio* demum in Atomiſtica ſententia non modò otioſa, ſed impoſſibilis eſſet. Cùm quippe vita ſenſitiva & vegetativa, juxta illam; propriè vita non ſit, ſed motus quidam ſecundùm leges mechanicas ordinatus, vitam tamen præſentans, nec utiq; opus erit nutritione. Et ſanè: quid machinæ cum cibo? Nec valet ſi dicas: Igneas animalis atomos, alias expellere adeoq; ut animal ſartum tectumq; conſervetur, opus eſſe alimentô ad ſarciendum defectum. At hoc modo, etiam olla aqua ebulliente plena nutriri poteſt, nam & ignis ille expellit atomos aqueas, & niſi velis totam aquam exeſſe, ſubminiſtrare identidem debebis aliam atq; aliam portionem aquæ. Dein ſi ignis quid convertit, id non convertit in aliud eg. in carnem aut ſanguinem, ſed in ſemet convertit. Ergo poſito igne in animali, eo ipſo nutrimentum animali fruſtra ingeritur: Præterea,

cùm

cùm particulæ igneæ aut sulphureæ pervagentur juxta atomistas ferè omne universum, & expulsionis ratio ubiq; occurrat, oportebit: vel omnia corpora æquè nutriri ac animalia; vel ab Atomistis assignari discrimen rationabile, vì cujus expulsio partium totius, & surrogatio aliarum, nutritionis veram induat rationem in viventibus, in aliis verò non æquè, Si mæchanicas leges spectemus, eædem regnant utrobiq; naturales Atomistæ non admitunt.

23 *COROLLARIUM IV. Si generatio per meram mechanicam partium transpositionem absolveretur, non fierent generationes tam ordinatæ, sed variæ continuò atq; difformes emergerent rerum species. ùt vulpanseres hircocervi & alia id genus.* Possent quippe atomi hirci & cervi secum concurrere ac adunari cùm hìc non obstat aliqua forma substantialis atq; sic componere hircocervum. Rursus ea, quæ destituuntur causa naturali, seu juxta fixum ordinem procedente, sæpiùs difformiter quàm uniformiter operantur, ac si illud subsisteret; profectò frequentissima esset monstrorum productio.

24. *COROLLARIUM V. Hoc Systema non satis consonare videtur. Ecclesiæ decisionibus* Nam dum negat omnem materiam primam, ùt potentiam substantialem per se essentialiter talem negat etiam omnem omnino formam substantialem, ut

per

per se essentialiter actum, cùm hæc duo invicem correferantur. In Concilio autem Lateranensi (l) sub Leone X. & Viennensi (m) definitum est: *Quisquis asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus censendus.* Nec quidquam obstat Atomistarum responsio ponens disparitatem inter animam rationalem, quæ spiritualis forma est ex nihilo creata, & inter cæteras formas non ita se habentes. Nam si semel admittitur aliqua vel una forma substantialis per se essentialiter actus alicujus alterius, necessariò ex regula correlativorum admittenda est in ordine ad talem actum & aliqua potentia substantialis: quæ pariter per se essentialiter potentia sit. Unde defacto negata hac potentia substantiali per se essentialiter tali, negavit consequenter Gassendus & animam esse per se formam substantialem, & ùt refert Cartesius, (n) publicè hanc thesim propugnavit: *Ex mente & corpore non fieri unum per se sed per accidens.* Tum, quia admisso semel generationem & corruptionem substantialem hominis non fieri nisi per conjunctionem & separationem formæ substantialis scilicet animæ, & non per solam atomorum unionem vel segregationem; à pa-

 ri cogi-

(l) *Sess: 8.* (m) *c. Firmiter de Sum: Trinit:* (n) *Epist: ad P. Dinet:*

ri cogimur philoſophari quò ad hoc & de cæteris, ùt rectè expendit Suarez (o) adducens & illud Eccleſiaſtæ 3. *Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusq; conditio, ſicut moritur homo, ita & illa moriuntur.* Præterea refert P. Seraphinus Piccinardi (p) in Directorio Inquiſitorum p. 2. q. 4. num: 12. inter hæreſes & errores antiquorum Philoſophorum reperiri hanc propoſitionem: *Qualibet res ex Atomis corpuſculis minutiſsimis conſtituitur, & quando atomi dividuntur, res corrumpuntur, quando uniuntur res generantur.* Quæ propoſitio ſeparatur ab alio errore poſito num: 11. de negatione Providentiæ ex fortuito motu atomorum. Hinc non incongruè infertur: dictum Syſtema non ſatis Eccleſiæ Deciſionibus conſonare.

PROPOSITIO II.

Hypotheſis Carteſiana de primis Rerum naturalium Principiis ſubſiſtere non valet.

26. Scholion. *Renatus des Cartes*, qui & *Carteſius* dicitur, Dominus de Perron, illuſtri apud Armoricos & Pictones in Galliá natus eſt ſtirpe, Philoſophicis & Mathematicis deditus diſciplinis, inſignes fecit progreſſus. obiit celebris Vir Holmiæ annô

(o) *Diſp. 15. Metaph:* (q) *Dogmat: Phil: lib: 4. q. 4.*

annô 1660. ætatis suæ 54. Hic perspicacis ingenii Vir cùm stabilita ab aliis rerum principia non probaret, novam viam arripuit, ac mira mentis dexteritate complevit. *Verum tamen* (ipsius verba (q) *ne etiam nimis arrogantes esse videamur, si de tantis rebus philosophando, genuinam earum veritatem à nobis inventam esse affirmemus, malim hoc in medio relinquere, atq; omnia quæ deinceps sum scripturus, tanquam hypothesim proponere, quæ quamvis falsa existimentur, satis magnum operæ pretium me fecisse arbitrabor, si omnia, quæ ex ipsa deducentur, cum experimentis consentiant.* Ut itaq; Cartesius principiis suis viam sterneret, corporis essentiam decrevit esse extensionem. (r) Evincit inde non posse Vacuum existere, quippe donaretur extensione; proindeq; corpus esset, non spatium omni corpore destitutum. Præterea affirmat materiam esse indefinitam, hoc est sine termino, ùt idem explicat, nobis saltem noto. extra mundum enim porrigi spatia putat terminorum expertia, quæ cùm extensa sint; corpus sunt seu materia. His positis originem explicando Principiorum, primò opinatur: (s) divisam materiam fuisse à Deo in partes æquales, quarum facies cùm se se prorsus contingerent, omnem prohibebant vacuitatem. Partibus illis, subdit, collatum fuisse impetum, quo circa cen-

(q) *Princip. p. 2. n. 44.* (r) *n. 45.* (s) *n. 46.*

tra ſua moverentur, & circa centrum commune, ortumq; inde vortices duxiſſe eum ad modum, quo ſi vaſis aqua baculô circumagatur, paleæ, circa ſemetipſas convertuntur & circa gurgitis centrum, Demum ſtatuit, particulas, congredientibûs ex motu illo invicem angulîs, attritas fuiſſe verſaſq; in Triplex elementum, ſeu rerum principium, quorum primum materiam *Subtilem* nominat, alterum *Æthercam*, tertium *Striatam*.

Elementum imum. quod *Subtilis materia* dicitur, eſt Carteſio pulvis omnino tenuis (t) ex anguloſarum portionum attritu confectus, qui cùm perniciter feratur, comminuitur adhuc ex occurſu corporum craſſiorum. Tenuitate deinde ſua, ſpatiolis cunctis ſe ingerit, omnemq; replet vacuitatem; nullius enim figuræ tenax eſt, ſed pronus æquè ad univerſas. Ex eo ſtellæ fixæ & ſol compinguntur (u) corporaq; lucida ac ignita, ſeu quæ lucem ex ſe emittunt.

Elementum 2dum, quod *Materiam Æthercam* vocant ſphæricis conſtat particulîs. Hæ fiunt ex portionibus materiæ illius homogeneæ, dum angulîs mutua colliſione abrasîs evadunt rotundæ. Materia iſthæc motu potitur minori quàm ſubtilis, figurarum rotundarum causâ ſpatiola admittit innumera, quæ ſubtilî replentur. Ex illa coaleſcunt

Cæli,

(t) *n.* 49. (u) *num:* 52.

Cæli, àér ac corpora diaphana, ſeu quæ lucem transmittunt.

Elementum 3tium eſt *Materia Striata*; ex quo ejus partes tranſeundo per ſpatiola triangularia, quæ in medio trium globulorum 2di elementi ſe mutuò tangentium reperiuntur, cochlearem induant figuram. conſtans partıbûs vel magis craſsîs, vel figuras ad motum minùs aptas habentibûs (v) quæ cùm quietem ſervent, eas enim Carteſius motu deſtituit, omnem evadunt diviſionem. Revocat ad hanc materiam illas primi elementi particulas, quæ propter figuras anguloſas ineptæ motui ſuo evadunt. notat tamen (x) ſolvi eas poſſe rurſum variîs aliorum elementorum incurſionibûs in materiam primi elementi. Ex materia ſtriata coagmentatur tellus, Planetæ, animalia & cætera corpora opaca, ſeu quæ lucem regerunt.

In hac itaq; hypotheſi *Materia* prima dici poteſt maſſa illa homogenea indiviſa, quam Deus non creavit in ſpatio tanquam loco, ſed juxta Carteſii ſenſum, ſpatium creando creavit hoc ipſo materiam univerſalem. Materia verò ſecunda, ſeu ſimpliciter materia corporum naturalium, ſunt tria Elementa, jam ſingula jam invicem permixta. De *Forma*, Carteſiani cum Gaſſendiſtis eodem ore loquuntur. Hanc hypotheſim (ùt notat Antonius Genuenſis

(*v*) *eod*: (*x*) *n*: *100*.

Genuensis (y) velut fabulam sub initium habuit Cartesius, sed paulatim eò res provecta est; ut rerum suarum amore impensè captus, tanquam certam veritatem, illam propugnaverit. Adeò rerum nostrarum amor nos turpissimè sæpe deludificat!

27. Quo præmisso rationes Propositionis spectare placeat, harum I. Cartesius tractans de suis principiis sibi contradicit, quomodo igitur ejus Hypothesis subsistere valebit: Is quippe (z) inquit: *Non dubium esse, quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni sua perfectione, ita: ut in illo & sol & terra & luna & Stellæ extiterint, ac etiam in terra non tantùm fuerint semina plantarum, sed ipsæ plantæ,* Numerô autem 52. enumeratîs tribûs suîs elementîs dicit: *Et ex his tribus omnia hujus mundi aspectabilis corpora componi ostendemus; nempe solem & stellas fixas ex primo, Cælos ex secundo, terram cum planetis & cometis ex tertio.* II. Motu partium primarum confici nequeunt tria corporum principia. scilicet: particulæ ut angulos amitterent & sphæricæ evaderent, donandæ essent vî omnes æquali, hypothesis tamen ostendit inæqualibûs potiri viribûs, seu inæqualem illis inesse motûs quantitatem. Etiamsi enim æqualis motus sit, quo vertuntur singula circa sua centra, ab æqualitate tamen alter recedit, quo agitantur circa centrum

(y) Tom: 5. pag: 92. (z) p. 45.

centrum verticis totius. Quò nempe à centro motus remotiores sunt, eò sunt velociores, æqua enim celeritate si gauderent, describere non possent circulos aliis ampliores. Inæqualibûs propterea motibûs cùm instruantur, non rotundantur æqualiter, sed quæ tardiores sunt obsistunt validiùs, & inæqualem ferunt decussationem. Igitur ejusmodi principia non in natura ast duntaxat in imaginatione reperiuntur. III. Præcipuæ Cartesii leges laborant antilogiâ, Cartesius enim vacuitatem omnem exulare jubet, ipsiusq; etiam possibilitatem: verùm à moleculis excindi anguli non possunt sine inani. Quantumvis enim ante motum illæ se se contingant exquisitè, nullumq; interstitium admittant, eo nihilominus suborto, anguli congredi cum aliis nequeunt, quin innumeris locum parent vacuitatibus. Nec verò potest reponi: ea locula à materia subtili occupari, nam hæc cum per motum fiat, motum omnino præsupponit. Præterea inquit laudatus Vir (a) *Particulæ in principio satis magna vi motæ fuerunt, ut unæ ab aliis sejungerentur.* sejunctio hæc, quæ ad atterendum magnopere necessaria est, nisi admittatur vacuum, dari non potuit. Ergo cùm necdum adfuit materia subtilis, in spatiolis illis, quæ cubos agitari cæptos distinxerant, datum est vacuum; vel si non datum illa

elementa

(a) *num: 48.*

elementa producta esse duntaxat finguntur. IV. Ex particulis sola figura & motu variatis fieri nequeunt bruta sensu, cognitione & vita prædita. Quis enim existimet ob id animalia sentire & cognoscere, quòd constant particulis aut minutioribûs, aut exquisitiori figura præditis, aut perniciori motu agitatis; cùm hæc singula ad dandam vitam & sensum sint prorsus inepta. Plures rationes ad infirmandam hanc Hypothesim possunt desumi ex probatione Propositionis primæ vel ex P. Dechales. (b)

28. *COROLLARIUM I. Primum Cartesii elementum nullius corporis principium esse potest.* Si enim ex eo, quæ proveniret concretio, essent præsertim Stellæ fixæ & sol, paulò tamen accuratiùs materiam subtilem qui exploret, prodire illas non posse intelliget eo pacto: videlicet cùm illa à particulis primis excernatur, diffundaturq; per universum, locis suis subsidere dicitur, vel abire in vorticis centrum. Qui dimoveri illam non judicet, sed complere putat extantes undiq; inanitates, stellam non admittet in centro vorticis efformatam. Quod si à gurgitis motu abreptam, sentiat in centrum deduci, affirmet, nisi effugia quærat, necesse est, vacua superesse loca, quæ occupaverat, naturamq; odiô non prosequi inane,

29.

(b) *Hypoth: Cartes: Refutatio.*

29. *COROLLARIUM II, Materia Ætherea inepta est Cælo & aëri confarciendo.* Nam materia Ætherea globulîs constat. Cartesius globulos dicit esse solidissimos (c) eosdemq; validissimè se premere (d) porro cùm duri ac solidi globuli invicem pressi durum corpus componant, ùt per se notum & Cartesius censet (e) non valent Cælum & àërem conflare, quæ sunt sunt fluida. Insuper cum àër plicari inflectiq; possit, ac in locum primum restitui, indeq; insigni polleat elasticitate, globulîs coagmentari nequaquam potest.

30. *COROLLARIUM III, Tertium Cartesii elementum nequit esse corporum exordium,* Striatâ nempe materiâ attexi creduntur corpora opaca; quorum alia fluore prædita sunt, ùt hydrargyrum, alia verò ùt lapis soliditate donantur. In eadem tamen à centro motus distantia, assequi mente non poteris, qua lege illud eveniat, quavé ratione. fieri namq; non potest, ut ex congeribus materiæ ejusdem particulis emergant res adeò dissimiles. Quod si secernantur particulæ, ut aliæ fluidis, aliæ solidis corporibus inserviant, statuendæ peculiares erunt regulæ, quibus à motu circulari & intelligentiæ omnis experte obtineatur ea discretio. Ex angulis enim, qui ob attritum divelluntur, commiscenturq; aliis particulis, potiùs, quàm minuatur, augetur maxima perturbatio.

(c) 3. p. num: 123. (d) n. 62. (e) p. 4, n. 130.

31. *COROLLARIUM IV. Vacuum per Dei virtutem possibile est.* Minimè quippe repugnat, ut totam eam substanitam, quæ aliquo in vase est, Deus in nihilum redigat, simulq; prohibeat, ne alia vas illud ingrediatur. Nullum autem vas adeo indiget à substantia repleri, ut, nisi aliqua in eo sit, existere in rerum natura haud possit. Nec valet instantia Cartesii (f) asserentis: *Si quæratur, quid fiat? si Deus auferat omne corpus, quod in aliquo vase continetur, & nullum aliud in ablati locum venire permittat, respondendum est: vasis latera sibi invicem hoc ipso fore contigua.* Illa namq; vasis latera non possent se se aliter contingere, quin ejusdem figura perimatur, hæc autem cùm à substantia quæ vas replet, nullo planè modo, experientia teste, dependeat; nulla apparet ratio destruendæ figuræ.

32. *COROLLARIUM V.* Bruta non sunt pura automata. Quum Cartesius convictus esset, quòd suæ particulæ ex quibus volebat bruta componi, his vitam & cognitionem tribuere nequirent, nolens animum pertinacem mutare, eam sententiam arripuit, ut bruta pura automata seu omnis vitæ ac cognitionis expertia, tenaciùs assereret. Sed oppositum Cartesianæ assertioni non modò ratio nobis svadet, ast quoq; ex Sanctis Patribus quinimo Sacris Literis facilè colligitur. Clarè enim Sacer

Textus

(f) 2. p. n. 18.

Textus teſtatur: bruta vitam, cognitionem, ſenſum induſtriam &c: habere. *Dixit Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis.* (g) *Cognovit bos Poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* (h) *Milvus in Cælo cognovit tempus ſuum.* (i) *Equus audit buccinam, contemnit pavorem, aquila contemplatur escam, & de longè proſpicit.* (k) *Vade ad formicam o piger! & conſidera vias ejus & diſce ſapientiam.* (l) *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Sanctorum Patrum teſtimoniorum hac in re, feraciſſima habentur opera, aſt ne amplus nimiùm videar, pauca pro plurimis adjungo. En S. Gregorius ratione vitæ vegetativæ plantis, ſenſitivæ animalibus comparat hominem dicens: (n) *Homo habet vivere cum plantis ſentire, cum animalibus intelligere cum Angelis.* Quàm autem cæterorum de vita brutorum concors ſententia ſit. S. Auguſtinus (o) teſtatur: *Irrationalia animalia vivere atq; ſentire, nemo ambigit.* Ratio demum præcipuis brutorum operationibus intenta, fateri omnino cogitur, ea vita cognitione ſenſu iiſdemq; ferè affectibus, ùt ira, metu, amore ac aliis, quemadmodum homines pollere. Conſideremus canes nonne in his ſpecialem induſtriam fidelitatemq; ſpectabimus? Intueamur formicas, hæ tempore æſtatis ci-

E2 bos

(g) *Gen: 1.* (h) *Iſaia 1.* (i) *Jerem: 8.* (k) *Job: 39.* (l) *Proverb: 6.* (m) *Math: 10.* (n) *Hom: in Evang:* (o) *lib: de ver: Relig: c. 21.*

bos inquirunt, in cryptas congerunt, ubi frumenti grana humida adverterint, ea ex illis in apertum aérem ſiccanda educunt, vel ſi germen ex ipſis pululare conſpiciant, illud dentibûs corrodunt. aliiſq; innumeris rebus hæc perexigua animalcula non modò vitam aſt quoq; cognitionem, providentiam ac ſolertiam maximè demonſtrant. Plura hac de re legere volenti ſit ad manus & mentem Diſſertatio de Brutis annô 1776. edita.

PROPOSITIO III.

Chymicorum Principia rationem primorum Principiorum habere non poſſunt.

33. *Scholion.* Chymici, aliter Chemici, Spargyrici aut Hermetici vocantur, ſunt ii, qui exercent Chymiam, * ſeu qui corporum natutali um compoſitionem ex illorum reſolutione favore ignîs detegere conantur, illi evulgato innixi: *Primum in compoſitione ultimum in reſolutione.* Artem Chymicam Arabes primi omnium, deinde Raymundus Lullus, Rogerius Baco, Theophraſtus Paracelſus (quem in plures hæreſes lapſum ex novitate in ſcientiis, teſtantur Senertus (p) & Roſſius (q) aliiq; nuper excoluerunt. Circa intrinſeca rerum

(q) *Lib: de conſenſ: Chymic: cum Galen:* (q) *lib: 1. de Phil:*
* Chymia eſt ars reſolvendi & componendi corpora.

rum naturalium principia, quid sentiant. difficilè accuratè exarare. Nihilosecius communior inter eos obtinet opinio ultra Terram & Aquam, quæ dicunt passiva, tria adhuc reperiri activa, scilicet: Mercurium, Sulphur & Salem. In has ergo quinq; substantias omne corpus revocari censebant, remq; demonstrabant vini resolutione, quæ in hunc modum ope ignis procuratur. Si vinum alembico inclusum igni imponatur, in vas subjectum è capitello cucurbitæ decidit guttatim liquor diaphanus, quem *Spiritum* vini sive *Mercurium* vocant, deinde succedit humor quidam insipidus, hunc *aquæ* nomine vel *phlegmatis* designant. Remanet postmodum in fundo alembici materia viscosa velut mel, quæ delata in retortam & validiori exposita igni, dat humorem pingvem fætidum & glutinosum, quem *Oleum* vel *Sulphur* nominant. Materiæ, quæ reliqua est, è retorta in vas luteum traductæ, & ab igne adhuc vehementiori exsiccatæ, ac ferè combustæ affunditur aqua fervens, quæ si per chartam bibulam vel panni laciniam percolatur (hoc filtratio dicitur) quod illac transire nequit, *Terra* sive *Caput mortuum* est, omnem vim ignis eludens, quæ verò transierit aqua salsedinem quandam referens, novo igni applicatur, quo successivè difflatur in vapores resoluta, donec appareat id, quod subsidit in fundo vasis, & hoc *Salem* vocant, e-

umq;

umq; lixiviosum; quia per prædictam lixiviam, extractus fuit. Sed de his quidpiam singillatim referendum est.

Mercurius seu *Spiritus Chymitus*, est substantia subtilissima vivida, à qua mixtorum omnium motus derivant, item plantarum vegetationes, fructuum & liquorum maturitates &c. Nonnulli Mercurii nomine saltem in metallis intelligunt ipsum hydrargyrum sive argentum vivum. Cl. Villisio (r) *Spiritus hi sunt substantia maximè subtilis atherea & divinioris auræ particula, quos naturæ Parens in sublunari mundo tanquam vitæ & animæ motus & sensus cujusq; rei instrumenta condidit.*

Sulphur seu *Oleum* est substantia oleosa, pingvis, inflammabilis & concretior Mercuriô. Ab hoc principio, si Villisio credamus; pendet corporum temperies, pulchritudo, deformitas, colorum & odorum varietas. Sulphuris particulæ leniter motæ digestionem adjuvant & maturitatem, validiùs percitæ calorem & ebullitionem afferunt, sed pulsæ vehementiùs pariunt inflammationem.

Sal, ùt inquit Boerchaave; (s) *Vocatur corpus, quod aquâ potest dilui, igne autem fundi, si non avolat priùs in auras, quodq; gustum humanum afficere valet eo sensu, quem saporem appellant.* Seu est substantia maximè sapida, aqua vel igne solubilis, saporum

(r) *de Ferment:* c. 2. (s) *Elem: Chem: tom:* 1. p. 2.

porum causa, cùmq; concretior sit spiritu & sulphure, firmitatem corporibus impertit & duritiem, putredini obsistit, vitiumq; corruptionis arcet. quod præstat, potissimùm volatiles spiritus & sulphuris igniculos arcendo. A salibus demum, quorum alii acidi sunt, alii Alkali * oriri potest fermentatio.

Aqua seu *Phlegma* est substantia humida, & tum odore tum sapore destituta. Hujus gratiâ spiritus & sulphur unà copulantur, & adjunguntur salibus. Nam ubi aqua deesset, congrederentur mutuò tria activa principia, quæ cùm viribûs omnino valeant, se se absumerent invicem, corpusq; dissolverent. Quodsi aqua nimiùm abundaret, augeretur partium inertia, corpusq; putresceret.

Terra deniq; *damnata* seu *Caput mortuum* est substantia arida, fixa, insipida, omnis expers activitatis. Creditur spatiola corporum præcludere, relictaq; à principiis aliis vacua replere. Particulas cæteras prohibet, ne certent invicem, & se mutuò collidant, volatiles retinet, molemq; & figuram corpori elargitur. Ubi copia major terræ, ibi minor activitas, conservatio corporum diuturnior. *Hinc*, infert Villisius (t) *mineralia diutissimè perstant*,

(*t*) *de Form: c.* 2.

* Sales Alkali dicuntur ab illa herba, in qua abundant, vocata ab Ægyptiis Kali.

ſtant, dein proximè arbores grandiuſculæ interim ævi brevioris ſunt animalia & plantæ teneriores.

34. Expoſitô Scholiô, Propoſitio ſequentibûs argumentîs demonſtratur. I. Subſtantiæ quas Chymici admittunt, non ſunt omnino puræ. Nullus autem non intelligit adverſari id legibus Principiorum; quæ cùm prima & ſimplicia eſſe debeant, omnem ad mixtionem fædusq; cæterorum reſpuunt. Experientiâ enim probatum: lignum uſtum in cineres redigi & in fumum, hic, unum eſſe creditur principiorum componentium, fuligo tamen quæ à fumo gignitur, ſi igni admoveatur, in quinq; dictas ſubſtantias reſolvitur. (u) Sales qui è cornu cervi vel ſanguine eruuntur, à Chymicis dicuntur eſſe ſimplices, inſignem nihilominus edunt odorem, (v) cùm verò à Sulphure odores proveniant, peſpectum eſt eos mixtos eſſe & impuros. Spiritus deniq; tartari & buxi, tum olea complura acuto donantur ſapore (x) oportet idcirco eis eſſe adjunctos ſales, quibus potiſſimùm ſapor tribuitur. Unde Cl: Mongin Medicus Gallicus tenet: Mercurium eſſe compoſitum ex aqua & ſale,)y) quod defacto teſte Cl: Edvardo Corſino in Academia Pariſienſi probatum eſt eoq; ipſo Chymica principia non eſſe pura, demonſtratum. II. Chymica Elementa certè materiâ & formâ conſtant, atq; ideo

(u) *Boyle Chym: Scept: p. 4. pag: 60.* (v) *Ibid: pag: 64.* (x) *pag: 68.* (y) *P. Hauſ Tom: 4. p. 1.*

ideo composita sunt, proinde primorum principiorum rationem habere nequeunt. III. Sed quod omnem prorsus Chymicorum sententiam evertit, illud optimè, referente Cl: Corsino (z) Viri doctissimi conjiciunt: Elementa illa non actualiter inesse corporibus, aut ab illis, vî ignîs extrahi & secerni, sed potiùs magna ex parte procreari. Et sanè quis ambigat? maximam in ligno mutationem activitate ignîs produci, ex cineribus vitrum confici, cùm tamen eadem ignîs vi in cineres vitrum abire non possit, insipidum etiam est vitrum; cùm tamen cineres, quibûs constat, plurimum salem alkali contineant. Hinc Cl: Homberg (a) docet: per analyses igne factas resciri non posse principia mixtum componentia, eò: quòd suspicari liceat, quòd ignis pro vario menstruorum concursu de novo produxerit, vel saltem alteraverit ea, quæ apparent principia. Nec suspicionem vanam esse admittit P. Fortunatus à Brixia Systematis Chymici propugnator, dum ait:)b) *Non inficior haud raro contingere, ut nova aliqua substántia, quæ in composito non fuerat, caloris actione producatur.*

53. *COROLLARIUM I.* Non omnia quinque Chymicorum Elementa insunt singulis corporibus. Ipsis etenim Chymicorum experimentîs deductum est, non singula corpora in dicta quinq; elemen-

 ta posse

(z) *Instit: Phil: tom: 2. disp: 3. c. 3.* (a(*Memoir a Trevoux, 1704. tom: 3.* (b) *Phys: Gen; p: 1. n. 558.*

ta posse resolvi. Sic Cl: Boyle (c) affirmat ex auro salem, sulphur & Mercurium Chymicum extrahi haud posse. Nec quidquam facit experimentum Cl: Homberg ostendens: aurum per vitra caustica in crystallos esse solutum, nam Hartsækerus deducit eam auri crystallisationem fieri à particulis aëris aurô crustam inducentibus, prout ipsemet expertus est per vitrum causticum Hassiacum. Idem Boyle testatur neq; argentum, hydrargyrum, talcum Venetum, adamantes, crystallum, arenam posse in quinque elementa resolvi. Ipse Homberg (d) ait: *Metalla & mineralia metallica continent Mercurium, salia fossilia & simplices lapides & terræ non continent Mercurium.* Rursum inquit: *in analysi metallorum reperitur Mercurius, materia Sulphurea terrestris & in aliquibus salina.* Cum itaq; omni in arte sua perito credendum est, concludendum quoq; restat, quinque elementa Chymica non inesse singulis corporibus.

36. *CORLLARIUM II. Dicta Chymicorum Elementa carent universalitate.* Non enim omnia corpora naturalia ex ipsis fieri compertum est. Nam corpora Cælestia, quinimo ipsa elementa vulgaria ex enumeratis principiis Chymicis nequaquam componuntur.

37. *COROLLARIUM III. Si Elementa Chymica ut prima rerum naturalium principia haberi possent,*

(c) 2. p. (d) *Acta Academ: Reg: ad an: 1702. 1706. 1709.*

sent, multò plura, quàm quinque esse deberent. Constat quippe alium salem ex sanguine, alium ex urina, alium ex plumbo, alium ex hoc, alium ex illo plantarum genere educi. Quinimo ex eadem quoq; substantia, alius educitut sal quem fixum lixivialem & alkali vocant, alius volatilis, qui calore facilè avolat, quemadmodum etiam diversa sulphuris & Mercurii genera ex eodem mixto educi posse fatentur Chymici. Unde Mercurius alter est pinguior & inflammabilis, alter aridior & non inflammabilis. Sulphur aliud volatile, aliud fixum, aliud spirituosum, quod *Spiritum Sulphuris* vocant, aliud crassius & aquâ levius quod *Oleum*, aliud gravius & in aqua subsidens, quod *Balsamum* Chymici appellant. Demum omnes Chymici ex tribus illis activis elementis, quartam quandam volatilem siccam & insipidam substantiam extrahunt, quam *flores* appellant.

38. *COROLLARIUM IV. Ex quibusdam qualitatibus, quas Chymici proprietates suorum Elementorum ajunt, non potest probari existentia singulorum.* Nam qualitates hæ videlicet: sapor & solubilitas quam sali, odor & inflammabilitas, quam sulphuri, volatilitas quam Mercurio, cohæsio quam aquæ, gravitas quamterræ, competere asserunt, non sunt strictæ proprietates. Cohæsio quippe non tantùm aquæ, ast etiam sali & sulphuri convenit, quæ ter-

râ carent sunt ponderosa. Volatilitas præter Mercurium, sulphuri & sali tribuitur. Deinde si sal est origo saporis, omnis res insipida salino careret principio, quod Chymicorum doctrinæ contrarium est. Illud etiam fidem excedit, sulphur fætoris officinam, esse principium omnium odorum, maximè cùm multa mixta nullum emittant odorem. Inflammabilitas in Mercurio quoq; reperitur, imò sulphuri non omnino correspondere videtur, nam stipulæ siccæ, fænum, paleæ sunt maximè inflammabiles, nec tamen ex iis possunt Chymici extrahere sulphur.

39. *COROLLARIUM V. Quamvis Chymicorum analysis sua elementa principia prima exhibere nequit, minimè tamen cassa & vana dici debet.* Punctum 1mum ex supra dictis manifestum. 2dum præstantissima ex illa emanantia commoda ostendunt. Chymica namq; mixtorum resolutio recta ratione tractata, secretas naturæ operationes detegendo non solùm Physicam illustrat, verùm etiam Medicinæ non exiguam utilitatem adfert, quam hic singillatim recensere brevitas vetat, norunt bellè hi, qui ex professo hanc scientiam tractant.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Prima intrinſeca corporum naturalium Principia ſunt Materia & Forma ad mentem Peripateticorum.

40. Scholion. Veterum ſapientum accuratiſſimi non Ariſtoteles, modò Socrates, & Plato, ſed, ùt crediderim, & longè antiquiores Ægyptii Chaldæiq;, ùt tefert P. Joannes Agnani (e) quibus addere facilè poſſum & priſcos Arabes, ex quorum poſteris vellent Novatores invectas poſtea fuiſſe hujuſcemodi doctrinas in libros Ariſtotelis: animadvertentes inter ſubſtantias corporeas plurimas eſſe jugi fluxui obnoxias, omnes verò perinde eſſe naturæ excellentia opera, atque facilè obſervantes, eaſdem inter ſe ſubſtantiali quadam ratione differre; ut primigenam horum aliorumq; inde emergentium phænomenorum rationem darent, duo celebrârunt rerum omnium corporearum prima intrinſeca ſubſtantialia Principia: unum plane ſingulis commune, aliud ſingulis proprium, illud determinabile, hoc determinativum, utrumque ab alterutro reapſe diſtinctum, eaq; ùt placuit, Materiam & Formam ſeu ſpeciem aut Ideam nuncupârunt. Licèt non ſatis compertum ſit, num antiqui circa explicationem Formæ ejuſdem fuerint

(e) *in epiſt: ad Amicum num: 9.*

fuerint ſenſus. Priùs tamen quàm utriuſq; indolem explicandam ſuſciperent laudati Philoſophi, ſuos aſſeclas admonuerunt, releganda prorſus eſſe hìc ſenſuum, ùt ita dicam, præjudicia. Enimvero prima rerum ſenſibilium principia, inſenſibilia ſint, neceſſum eſt; ſiquidem quidquid ſenſibile eſt, illud jam non principium primum ſed principiatum eſt. Hinc S. Auguſtinus (f) ingenuè fatetur ſe in antecesſum perperam ſibimet ipſi formâſſe ideam, materiæ prædictæ, eam intra ſe verſando, non ùt quoddam omnino informe, atq; adeò inſenſibile, ſed ùt aliquid informe *non privatione omnis formæ, ſed comparatione formoſiorum.* Neq; huicce S. Patris & cæterorum Veterum dicto admodum repugnant Recentes, qui vel corpuſcula prorſus inſenſibilia pro materia rerum omnium ponunt, in quo nolentes antiquo favent Syſtemati.

Juxta Platonem (g) & Ariſtotelem (h) definitur Materia id, *quod per ſe ipsam nec eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum per quæ ens determinatur*, hoc eſt ratione ſui, non phyſica ſubſtantia perfecta, non extenſa, non qualis, ſed neq; aliquid eorum, quæ in decem Categoriis reponuntur. Seu clariùs: non eſt *quid*, hoc eſt: non homo, non lapis, non lignum nullumq; demum ex ſenſibilibus illis corporibus, quæ mundi machinam

chinam

(f) 12. *Confeſſ.* c. 6. (g) *in Timæo.* (h) 7. *Met:* c. 3.

chinam constituunt, quemadmodum truncus non est ex se, ut egregiè explicat Cl: Gassendus (i) *neq; statua, neq; sedile, neq; ullum eorum, quibus lignum determinatur, opificiorum.* Non est *quantum*, nempe nullam habet determinatam magnitudinem. *Non aliquid eorum, quibûs ens determinatur* videlicet nihil eorum, quæ differentiæ sive essentialis sive accidentalis habere rationem possunt. Hinc S. Augustinus ait: (k) *Nonne Tu Domine docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atq; distingveres, non erat aliquid, non color, non figura non corpus non spiritus, non tamen omnino nihil.* Cùm itaq; Materia prima non sit nihil, ejus explicationem Aristoteles (l) positivè sic absolvit: *Est subjectum uniuscujusq; primum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundùm accidens, & in quod si quidpiam interit, ultimum abit.* Ea igitur est entitas quæpiam absoluta substantialis & partialis cum forma componens rem physicam, quæ unum quidpiam verè tale sit, non aggregatione multiplex, ut supra artem Naturæ opera eleventur. Itaq; uno verbo: Materia perfectio non est, aut actus, corporalium tamen perfectionum primum susceptivum, hinc *subjectum* dicta. Est *substantialis potentia*, hoc est capacitatem exigentiam

& pro-

(i) *Sect:* 1. *Phys: l.* 3. *c.* 1. (k) *loc: cit: c.* 3. (l) 1. *Phys: c.* 9.

& propenſionem habens, ut naturaliter ſit per ſe. *Abſoluta*, non quòd ſine forma exiſtat: unde inquit S. Thomas (m) *magìs eſt aliquid concreatum, quam creatum*, ſed quòd ſit alia entitas materiæ alia formæ, utraq; ab altera realiter diſtincta. Hinc ùt lux ſuperveniens corporibus, eadem irradiat, redditq; actu viſibilia, quæ talia erant potentiâ, nec tamen ea, idem eſt cum corporibus illis, puta pariete vel ligno, ita forma ſubſtantialis materiæ adveniens, trahit ad ſpeciem phyſicam v. g. ligni vel hominis ſubſtantiam illam de ſe inertem, vagam, verſatilemq; in qua ſolummodo de ſe erat potentiâ.

Porro *Forma Subſtantialis* dicitur ab Ariſtotele (n) *ratio eſſentiæ* ſeu *quidditatis* quatenus phyſicè præſtat id, quod Metaphyſici docent de differentia eſſentiali rerum, complendo & formando eſſentiam ejusdem rei naturalis in linea phyſica, quæ profectò per indeterminatam & communem ſubſtantiam materiæ ſtare non poteſt, unde hæc Genus, illa ponitur rei phyſica Differentia. Vocatur autem *Forma*, quia materiam format, ſeu ad certum perfectionis modum determinat. Dicitur etiam *Actus* eò, quòd rem conſtituat in ratione, talis entis actu, quamvis nomen Actûs ſit communius quàm nomen Formæ. *Species*, quia rem, conſtituit in ſua ſpecie. Item ab Ariſtotele. *Pulchrum*

ac

(m) 1. p. q. 7. a. 2. (n) 2. Phyſ. c. 2.

ac *Divinum*, quia est participatio Divinæ actualitatis & perfectionis. Definitur Forma substantialis, *quòd sit actus primus materiæ primæ cum qua facit unum per se & non secundùm accidens.* Unumquodq; enim compositum habet ab hoc principio, ut sit unum ens in specie, ut certîs gaudeat proprietatibûs, determinatasq; operationes eliciat, ac demum ut à cæteris omnibus essentialiter distingvatur. Sic homo, habet à forma substantiali, ut sit homo; utq; iîs omnibûs affectionibûs sit instructus, quæ hominis sunt propriæ. *Cùm panis* id explicando laudatus Gassendus inquit: *non habeat, quamobrem sit panis, potiùs quàm caro, ob suam materiam; (quippe caro non multò pòst, eandem materiam est habitura) idcirco illud, propter quod panis esse dicitur, & quo abscedente non est ampliùs panis, sed aliquid aliud forma panis appellatur. Ita cùm lignum non habet propter materiam, ut lignum sit, illud: propter quod appellatur lignum, & quo abscedente ex materia, dum illa transit in ignem, desinit esse lignum, forma ligni dicitur. Sed cùm sit in ligno (ut de hoc loquamur) & qualitas & figura & pondus & calor & siccitas & durities, & alia id genus, quæ in categoriis accidentium locum habent, nihil istorum propriè est, quod vocetur forma, nisi accidentalis, & præstans, ut lignum solùm dicatur quale. Est autem concipienda præterea intrinseca magis & substantialis forma,*

quæ materiam appetitumq; illius substantialem satiet, statuens cum illa compositum substantiale, ac ens per se, adeò: ut cùm materiam perficiat, dicatur perfectihabia, itemq; actus, quòd materiam actuet seu informet, quòd tribuat ipsi, ut sit actu in certo genere entis; quòd conferat composito vim agendi, sitq; in eo radix proprietatum, accidentiumq; præcipuorum ipsius. (o) Hoc idem principium, quod *substantialis forma* compositi, ab Aristotele dictum est, à Socrate & à Platone, qui idem ambo, si Plutarcho (p) credimus, de Universo senserunt, *Idea* vocabatur. *Ideas vocat* (Plato) teste Seneca, *ex quibus omnia quæcunq; videmus fiunt, & ad quæ cuncta formantur.* (q)

41. Hoc explanato Propositionis declarationem aggredior. Et quidem: Propositio data magnîs egere argumentîs non videtur. Cùm enim unanimi Philosophorum sensu ea sunt prima intrinseca rerum naturalium principia, quæ sic ad constituendam rem concurrunt, ut ejus essentiale- partes fiant, quis ambigere valebit, id materiæ & formæ substantiali convenire? cùm hæ ita unamquamq; rem naturalem principient, ut ipsi in partes essentiales ac intimas ultrò se se exhibeant. Revolvat mente præstantissimum rerum naturalium opus hominem, & facilè deveniet, cum materiâ &

anima

(o) *Sect: 1. Phys: lib: 3. c. 4.* (p) *lib: 1. de Plac: c. 3.* (q) *Epist: 59.*

anima rationali, quæ etiam ore Sacrosanctæ Ecclesiæ vera forma proclamata est, (Num: 25.) constare. Ac cùm ex notis ad ignota, rita sit argumentatio, hac via ad rectè sentiendum de reliquis compositis physicis, unusquisq;, nisi præjudiciis arceatur, planè deducetur. Universitatem dictorum principiorum Materiæ nempe & Formæ demonstrare, superfluum judico; hæc quippe nullatenus abscondi valet. sive namq; supera, sive infera, sive media corpora spèctes, ubiq; materiam & formam procul omni labore reperies.

42. *COROLLARIUM I. Si spectentur Principia rei naturalis in fieri, Materiæ & Formæ adjungitur Privatio.* Principia namq; in fieri, sunt principia generationis, quæ cùm sit transitus de non esse substantiali ad esse substantiale, ad illam tria omnino requiruntur, videlicet: *non esse*, tanquam terminus, à quo incipit transitus, scilicet *Privatio*. esse tanquam terminus, qui acquiritur, scilicet *Forma*, & subjectum in quo transitus fit, scilicet materia. Unde D. Thomas (r) ait: *Ad hoc quod fit generatio, tria requiruntur; ens in potentia, quod est materia, non esse quod est privatio, & esse per quod fit in actu, quod est forma.*

43 *COROLLARIUM II. Datur in rerum natura Materia prima.* Hujus Corollarii rationes non sunt nobis de longè quærendæ, nam ipsæ mutationes

(r) *Lect: 13. & Opusc: 31.*

ones ſubſtantiales generatio ſcilicet & corruptio materiam primam nobis demonſtrant. Illas naturaliter fieri, quotidie ferè experimur, cernimus quippe boves, oves, plantas & gramina generari, necnon corrumpi, in omni autem generatione debet præſupponi ſubjectum, quemadmodùm in corruptione remanere. aliàs illa à creatione, quæ eſt productio entis ex nihilo, hæc ab annihilatione, quæ eſt redactio entis in nihilum; utraq; autem, ex quo infinitam virtutem requirit, ſoli Deo convenit, minimè differret. Et cùm in ſubjectis inquirendis in infinitum progredi non liceat, devenitur ad unum, quod Materia prima nominatur.

44. *COROLLARIUM III. Forma ſubſtantialis nequit conſiſtere in ſola partium combinatione & textura.* Quod ipſæ ſequelæ à Religione & ratione diſcrepantes oſtendunt. *1ma.* quia nulla ſubſtantialis differentia in corporibus daretur. Nec aliquod rationis momentum adfert argumentum ex artificialibus ſumptum. Sanè naturalia habent intrinſecum principium motûs, non item artificialia. Naturalia ſubſtantialiter differunt, artificialia accidentaliter; cùm natura eſt ſubſtantia agentis, ars eſt habitus. Unde malleus & culter ſola accidentali figura diſtinguitur. *2da* ex S. Auguſtino (s) excerpta: Non ſolùm homo imò quod pejus eſt brutum (ùt obſervat Ariſtoteles)t) naturaliter reſurgere

ſurgere

(s) *lib: 12. de Civit: Dei c. 13.* (t) *1. de Anim: t. 41.*

surgere posset; Resurrectio autem est unum ex præcipuis ac supernaturalibus Fidei Mysteriis, nec cognoscibile naturaliter, ùt præter S. Thomam probat & Scotus. (u) Post mortem enim hominis & bruti, possunt atomi hinc inde dispersæ, in eandem partium combinationem concurrere & redintegrare compositum, utì defacto asserebat Epicurus referente Plinio (v) & Democritum ita sensisse, probat Magnenus (x) Hermolaum Gassendus. (y) Imò Franciscus Carus (z) hoc ex principiis atomisticis ausus est asserere: *Resurrectionem esse moraliter impossibilem, physicè autem, se non videre, cur fieri nequeat?* *3tia.* Posset quodlibet fieri ex quolibet. Convincimur verò experientiâ, certa & infallibili lege quendam formarum ordinem servari, ita: ut una forma sequâtur immediatè hanc & non illam, quemadmodum post lignum habetur ignis post ignem cineres, non è converso. *4ta.* Stante eadem partium textura idem deberet esse compositum, cùm ab illa per Atomistas, essentialem differentiam sortiatur. quod apertè veritati opponi eg: in bove de recenti mortuo, manifestè patet. siquidem in bove eadem post mortem perseverat partium textura, tametsi bos post mortem ampliùs non sit. Demum in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento sequeretur remanere formam, essentia-

(u) in 4. dist. 43. q. 2. (v) lib: 7. c. 55. (x) Disp: 2. c. 2. (y) lib: 7. Phys: c. 4. (z) Disp: 4. disquis: 2.

essentialem seu quidditativam panis, quod contra definitionem Ecclesiæ est. Fatendum igitur est formam substantialem in sola partium combinatione consistere non posse.

45. *COROLLARIUM IV. Dari Formam Substantialem absolutam sequentes evincunt rationes.* *1ma.* Diversitatem substantialem inter res physicas neminem credo negaturum, nisi se ipsum cum lapidibus, brutis & plantis confundat. Porro nulla est diversitas substantialis inter ea, in quibus non reperitur aliquid substantiale diversum, prout inter aquam frigidam & calidam, inter hominem adultum & infantem; particularum autem textura, non est aliquid substantiale, impar igitur est ad diversitatem isthanc ponendam, quamobrem debet omnino admitti substantialis forma. *2da.* In corporibus naturalibus extat radix conservativa & exigitiva determinatæ collectionis accidentium sensibilium, tum causa proprietatum & uniformium, operationum; nam aqua calefacta reparat sibi connaturalem frigiditatem, ignis conservat in se intensum calorem, arbor ramos & folia producit, hydrargyrum postquam varias induerit formas, tandem ad propriam dispositionem & speciem redit. Verùm hæc radix & causa nequit esse *materia*; cùm sit ex se indifferens ad quaslibet affectiones. Non *figura* partium, cùm hæc non sit activa, nec

diffusiva

diffusiva tot & tam constantium affectionum; manetq; per suos Patronos etiam extra tale vel tale totum. Non *Conjunctio partium*, quia sola conjunctio non mutat naturam, nec una pars alteram perficit, aut aliud, præter aliam apparentiam sensibilem totius inducere potest. Nec deniq; *Motus*, tum quòd motus non in quolibet ente actu reperiatur, tum quia non constituit naturam, sed eam constitutam supponit, tum quia potest separari vel variari stantibus etiam materia & figura iisdem, tum quòd motus sit indifferens ad omnes modos & terminos, & licèt figura modificet quodammodo motum, non tamen ita determinat, ut ad uniformes specificos effectus eum dirigat; cùm una eademq; figura variis queat cieri motibûs. Ergo est Forma substantialis absoluta. *3tia.* Forma substantialis datur in composito humano. Ergo etiam in aliis compositis, cùm æquè materia constent, ac illud. Si enim materia est capax vel unius veræ formæ, nulla est ratio, cur non sit capax & alterius, nempe: sensitivæ, vegetativæ &c: maximè quòd hæ videantur magìs proportionatæ materiæ, utpote materiales, quàm forma entitativè spiritualis. Præterea datur vis informativa materiæ primæ, & cùm illa non sit alia præter actum primum, qui est forma substantialis absoluta, ea certè datur.

46. COROLLARIUM V. *Formæ substantiales materiales educuntur de potentia materiæ, Anima verò rationalis non educitur de potentia materiæ sed à Deo creatur, ubiprimum corpus est sufficienter dispositum ad ejus receptionem. Primi puncti* ratio: quia formæ materiales dependenter fiunt à præsupposita materia, sine qua nec esse, nec fieri, nec aliquas exercere operationes valent. Itaq; cùm formas educi de potentia materiæ nihil aliud est, quàm fieri dependenter à præsupposita materia, restat inferre eas de potentia materiæ educi. *Ratio 2di.* Nam anima rationalis cùm sit spiritualis, quod ipsæ ejus operationes scilicet: intelligere & velle, ostendunt, habet esse elevatum supra materiam, propiùs accedit ad Deum; idcirco etiam Imago Dei dicitur. potest sola sinè consortio materiæ existere, ac operari, utì defacto soluta corpore existit. Porro quoniam in esse fieri & operari non dependet à materia, de potentia ejus educi non valet. Unde quòd Anima rationalis uniatur materiæ, non est ex dependentia, quasi sine ipsa esse non possit, verùm ex communicabilitate, inquantum ordinatione Dei valet communicari materiæ ad informandam eam. Cùm, ùt dicit S. Dionysius: *Deus conjungat extrema per media.* inter substantias purè spirituales, quæ nec à materia dependent, nec ipsi uniri possunt, quales sunt Angeli, & formas purè materiales

materiales, quæ non modò materiæ uniuntur, sed etiam ab illa in suo esse dependent, produxit formam mediam scilicet animam rationalem, quæ posset esse sinè materia sicut Angeli, ideoq; ab ipsa in esse & fieri non dependeret, & tamen posset informare materiam sicut & aliæ formæ materiales. Hinc Author Opusculi 45ti dicit: *Animam rationalem esse constitutam in confinio substantiarum purè spiritualium & purè corporearum.*

47. *Scholion.* Ex superiùs relatis notum est: Materiam esse subjectum mutationum physicarum, Formam radicem & causam proprietatum ac affectionum physicarum, quæ secum junctæ unum constituunt naturale compositum; quod cùm ita certò sit, Materia & Forma probantur esse principia physica non Metaphysica. Quinimo cùm Metaphysica abstrahat à materia singulari, communi & intelligibili; laudata verò principia, materialia sint, non videtur qua ratione ab illa attingi valeant.

48. *Scholion.* Exploratum est duplicis generis dari Systema Physicum naturæ. *Unum*, quod respectiva ac mechanica partium insensibilium (quocunq; tandem nomine appellatarum) mixtura, unione, coagmentaione consistat. *Alterum*, quod constituat res naturales ex duabus partibus substantialibus, primigenis, absolutis adinvicem realiter di-

ſtinctis, quæ Materia & Forma dicuntur. Hoc Peripatûs cæterorumq́, inſigniorum Philoſophorum fuit ſemper. Illud Democriti, Epicuri, Lucretii ac variorum Recentiorum. Hiſce Recentioribus quibuscunq́; pro haſta & clypeo eſſe, ut aſſumptam ſtatuant hypotheſim, ad ejuſdem facilitatem, atq́; in explicandis phænomenis felicitatem, per eam adinventam, ſe ſe recipere. Ut verò adversùs Peripateticum Syſtema peremptoriè dicant (nunquam attendentes ſatìs, quid phantaſiam inter & mentem interſit) eoſdem perpetuos eſſe in aſſerenda hujuſce incomprehenſibilitate. Prædicant ipſum difficillimum captu, imò captui prorſus impervium; ac ſi mentis noſtræ penetralia, perinde ipſis paterent, ac nobis, dicunt: neq́; nos ipſos illudmet intelligére, ſed vanîs, nulliusq́; ſignificationis vocabulîs nobis non minùs, quàm cæteris imponere, noſtrumq́; doctam palliare ignorantiam. Quod quidem in dies ſingulos eorum volumina, ſcripta, chartæ ac ora referunt; & utinam charitate Chriſtiana illæſa. In hoc illud mirabile dictu videtur: Viros adeò eximios negligere, deridere, contemnere Syſtema, quod, ùt fatentur, ipſi non intelligunt. An hæc progreſſio ſit digna Philoſophô? oro, ipſi tandem ſeriò animadvertant. Quis enim quod ignorat, ſcitè refellat? Quis, quòd rem ignoret aliquam, rem ipſam non eſſe, laudabiliter contendat?

tendat? An verò, si non nos ipsi, celeberrimi saltem Peripateticorum jugiter Systema illud viderint, intellexerint; non est Recentiorum dicere, Hîs præjactîs fundamentîs ad coronidem hujus Opellæ pono Argumentum biforme, quod Peripateticum statuat, Recentiorum evertat Systema, si ex animo verum amant, eidemq; seriò attendunt. Hujusce duæ bases, quas Majorem vocant ac Minorem tales sunt, quæ tardissimo cuivis, posita tantummodo vocum interpretatione, perspectæ sint ac nitidissimæ.

ARGUMENTUM.

Pro Systemate Absoluto. *Contra Systema Respectivum.*

Est

Necessarium, | Impossibile,

Principia intrinseca rei obscurissimæ esse

Obscurissima, | Clarissima,

Difficillima captu, | Captu facillima.

sed

Natura est res obscurissima.

Ergo est

Necessarium, | Impossibile,

Principia intrinseca Naturæ esse

Obscurissima, | Clarissima,

Difficillima captu, | Captu facillima.

Atqui

Atqui
(etiam faventibûs
imò contendentibûs Recentioribûs omnibûs)
ſola Principia
Abſoluta Peripatûs, | Reſpectiva novæ Scholæ
ſunt
Obſcuriſſima, | Clariſſima,
Captu difficillima, | Atq; captu facillima.
Ergo eſt
Neceſſarium, | Impoſſibile,
ſola Principia
Abſoluta Peripatûs, | Reſpectiva novæ Scholæ,
eſſe
Principia intrinſeca Naturæ.

Hinc Principio & Fini (a) Creatori omnium DEO ſit Laus, Honor & Gloria.

(a) *Apocal:* 1.

PERMISSU
MAGNIFICI & AMPLISSIMI
RECTORIS.